

vam Electionis esse, nisi meriti rationem ad Electionem obtineat, ita opinatur, ut omnem omnino simul causam impulsivam externam ab Electione excludat; ipsum non tantum fidem in Christum, sive quæ Christum apprehendit, sed etiam, quod idem est, Christi meritum fide apprehensum causam Electionis impulsivam esse, simpliciter negare satis apparet. Hoc pacto haud obscurum est, Paulini sermonis ejusmodi egisse Rœellium Interpretem, qui illud, quod ex Calvinii Schola arripuit, corruptæ rationis dogma Apostolum hoc loco professum esse, tam ex ipso orationis contextu, quam ex fidei & Scripturarum analogia, ipsaq; rerum natura docere sustinet. A quo proinde Pauli mentem ita prorsus abhorrere, ut hæc Rœellii interpretatio Apostoli sententiæ aperte repugnet, ex ipsis naturalibus Rationis Principiis evidentissime demonstrabo.

§. V. Equidem non diffiteor, illam de absoluta Electione doctrinam dudum haud paucorum opera suis nudatam coloribus in publica luce comparere, Rœellium etiam, adversus quem hoc certamen paramus, vita jam excessisse ad nos allatum novimus: Verum quoniam omnium, quotquot ex Calvinii Schola prodeunt, communis hæc cum Rœellio causa est, nec desunt unquam, qui toties debellatas hæreses, novo revelatæ veritatis habitu indutas, in scenam producere gestiunt, haud vanum me laborem suscepturum credidi, si sanctissimi Numinis gloriæ ab antiqua hac, sed tot vicibus alias, & jam rursus per Rœellium Renovata, isti quam maxime infesta hæresi vindicandæ temporis aliquid impenderem. Accedit quod ex Theologis quidam, qui Lutheranorum nomen non refugiunt, irenicis inducti consiliis eo usque nunc progrediantur, ut absolutum Electionis decretum fidei & salutis fundamentum non evertere, neq; sic eos, qui id docent, fundamentaliter errare, publice perhibeant. Quorum opinionem, ubi hoc dogma vel recta numero Ratio ex credendorum, ob manifestam ejus impietatem ejece- rit, simul cum ipso concidere necesse erit.

SE-